

habet formam recurvam et reduncam, contrariumque est γρυπῶ, quo vocabulo ea omnia appellantur, quibuscunque incurva est atque adunca forma: ut venter plenus cibisque refertus ab Xenophonte \*) γαστήρ γρυπῆ nominatur, sed inanis cibisque vacuus σιμῆ, quia huius quidem species redunca est, sed illius forma adunca. Iam vero crates costarum reduncarum longior facile intellegitur maius magisque admirandum oculis spectaculum praebere, quam breuior crates: quam fortassis Palaephatus etiam vocabulo βραχέϊς expressisset, non verbo μικραί. Et ut in Fabula Glauci, Sisyphi filii \*\*), indoles verborum linguaeque rationes corrigi iubent, ex iisdem Codicibus Britanicis et aliis, τῶν οἰκείων ἔδεν ἐπιμελέμενος, hoc est ἀμελῶν, quo verbo Palaephatus sic usus est alio loco \*\*\*); Aldino enim in libro, cuius scripturam nec caeteri editores immutare ausi sunt, legitur τῶν οἰκείων ἔδενός ἐπιμελέμενος: ita certissimum debet exploratissimumque videri, eo loco †), quo Zethus et Amphion, citharoedi, dicuntur fidibus cecinisse mercede, pro ἀπεδείκνυντο μισθῶ restituendum esse e Raviano Codice ἐπεδείκνυντο μισθῶ. Nam ἐπιδείκνυσθαι, non ἀποδείκνυσθαι, ii dicuntur, qui exercitationes instituunt in aliquo genere, ut se suamque artis scientiam et facultatem ostentent. Atque huiusmodi lenium, sed efficacissimorum, remediorum multo maiorem copiam scimus servatam extare in Codicibus antiquis Palaephati: quorum auxiliis vehementer miramur nondum diligenter usos esse viros doctos in sanandis vulneribus elegantissimo utilissimoque libello multo-

\*) Cyrop. 8, 4. 9

\*\*) C. 16

\*\*\*) C. 3, 4

†) C. 42, 2